



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 65. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

Dei, consolari animam, nulla præcedente consolatiōnis cāusā. Sicut hīc nulla præcedebat: Sed Christus tamquam Dominus universorum sedat tempestates interiores, & exteriores.

VOL. In tribulationibus, confugiamus ad Chri-  
stum, Dominum universorum, dicendo: *Eripe  
me de luto, ut non infigar libera me ab iis, qui o-  
derunt me, & de profundis aquarum. Non me de-  
mergat tempeſtas aquæ. &c. Ps. 68.*

COLLOQ. De 2. vexillis, petendo, ut in tenebris  
tribulationum, possimus agnoscere, & vitare  
fraudes mali spiritus. RECOLL.

## MEDITATIO LXV.

*De ambulatione super aquas. Matth. 14.*

Myst. puer. 3.

CONG. Delibare instantem meditationem mo-  
bre hujus hebdomadæ.

PRÆL. I. Quomodo Petrus ambulaverit super  
aquas, & quomodo ventus cessaverit.

PRÆL. II. Conspicari medium mare, ubi hæc  
siebant. Nam *in medio mari jactabatur Navis*,  
inquit Matthæus.

PRÆL. III. Petere gratiam veræ fidei erga Chri-  
stum.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Consideremus in-  
ter Discipulos, qualis fuerit Petrus, viso, &  
agnito JESU ambulante super aquas.

IN

INTEL. Mox apparebat, & elucebat in eo singularis quædam fides, & amor inflammatus erga Christum, qui non ferebat moram, quâ Christus veniret ad ipsum ; sed instar ignis rapiebat se ad dispositam vicinam materiam. REFL. Componimus languidam nostram fidem, & frigidum amorem, cum illo Petri.

VOL. Excitemus in nobis actum fidei firmæ, cœcæ, vivæ, constantis, fortis, zelosæ. Actum item amoris erga Christum, ardentis, velocis, generosi, intrepidi, agentis, & unicum Jesum suspirantis. *Fortis est, ut mors dilectio,* Cant. 8.

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. Christus Petro ambulanti super aquas, & ob validum ventum timenti, dixit : *Modicæ fidei, quarè dubitasti?* Matth. 14.

INTEL. Per ventum validum intepuerat charitas Petri, amore languescente timuit : Nam perfecta charitas foras mittit timorem. 1. Joan. 4. & hunc languorem ac timorem Christus per illa verba in Petro reprehendit REFL. Respiciamus nos ipsos, & cogitemus, quoties non ventum validum tribulationis ; sed sæpè ob levem: reprehensione illâ nos dignos effecerimus : *Modicæ fidei, quarè dubitasti?*

VOL. Cum Davide identidem dicamus: *Non timebo millia populi circumdantis me.* Ps. 3. *Non timebo mala, quoniam tu tecum es.* Ps. 22. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Ps. 26. *Non timebo, quid faciat mihi caro... in Deo speravi non timebo, quid faciat mihi homo.* Ps. 55.

PUN.

PUNCTUM. III. OPERA. MEM. Jesus, & Petrus ;  
*cum ascendissent in naviculam, cessavit ven-*  
*tus. Qui autem in navicula erant, venerunt, &*  
*adoraverunt eum, dicentes : verè Filius Dei es.*  
 Matth. 14.

INTEL. Non cessabat ventus , quādīu erant in  
 mari ; sed mox cessavit , ut Christus fuit in Navi-  
 culâ. REFL. Sic ventus desolationis, & tribulatio-  
 nis non solet cessare , quamdiu ambulamus inter  
 fluctus rerum mundanarum : at si cum Christo  
 ascendamus naviculam , vel veræ ejus Ecclesiæ,  
 vel statū Religiosi , vel interioris cordis nostri:  
 tunc facile cessabit ventus & agnoscemus ac ado-  
 rabimus Filium Dei.

VOL. Oremus humiliter, ut Christus ascendat  
 in Naviculam cordis nostri, tunc fieri quod scrip-  
 tum est. 2. Cor. 4. *Ipse illuxit in cordibus nostris*  
*ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie*  
*Christi Jesu. Quem adoremus in charitate, gau-*  
*dio, pace, &c. cessantibus ventis.*

COLLOQ. De 2. vexillis , orando nominatim, ut  
 habitet Christus in cordibus nostris , & ut supe-  
 remus omnes vētos tribulationis, quos foris fu-  
 scitat Dux impiorum.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

O MEDI-